


1/91

IDIBVS MARTIIS

MCMXIC



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 86

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADIS  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Ueberssee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO



Haec imago a pictore celeberrimo Hispanico Pablo Picasso  
effecta optime temporibus nostris apta mihi videtur: Colum-  
ba, symbolum pacis. Iterum apparuit bellum, etiamsi a ge-  
rentibus - scilicet! - 'iustum' nominetur, atrocissima ho-  
minibus afferre. Bellum, quo milia miliaque hominum inno-  
centium necantur vel omnibus bonis privantur, rerum natu-  
rae damnum immensum affertur, numquam iustum esse potest.  
Est omnino scelus in genus humanum. Qui talia 'iusta'  
dicunt, res humanas crudelissime ludibrio habent. Utinam  
PAX fiat!

Valete!

*D. Weissmann*  
Daniel Weissmann

# Facete lepideque dicta

Thomas Beecham, ille moderator musicorum Britannicus celeberrimus cum musicis non valde peritis orchestrae laicae concentum beneficiale editurus exercebat. Magis magisque irascebatur, quod suo quisque modo cecinit neque partituram observabat. Iam Sir Beecham omnia omittens virgam proicere voluit, cum subito asinus, qui dramati musici interfuit, per scaenam currens ibi cacavit. Tum Sir Beecham: "Quales consuetudines horribiles!" ait, "sed quam aptum dignumque iudicium!"

Ad quendam criticum, qui operi eius vituperans maledixerat, poeta Anglicus Bernardus Shaw: "Contrarium es galli!" dixit. Ille rogante, quid his dicere vellet, Shaw respondit: "Gallus in stercore fodit, donec granulum inveniatur. Tu autem in acervo granulorum fodis, donec paululum stercoris invenias!"

Nationem sapientissimam mundi sine dubio Sinenses esse Charlie Chaplin dixisse fertur. "Invenerunt artem typographicam", ait, "non autem acta diurna. Invenerunt pulverem pyrium (1), sed eo usi sunt solum ad spectacula pyrotechnica (2) faciendae. Invenerunt pyxem nauticam (3), sed bene caverunt ea uti ad Americam inveniendam.

Indorum Americanorum (4) vates a populo suo interrogatus est, num hiems acris futura esset. "Certe," respondit, "oportet vos multum lignum colligere." Postquam acervos maximos ligni ante tentoria vidit, dubio quodam suscitatus ad stationem meteorologicam in urbe Washington telephonavit et expertos interrogavit, num re vera tempus hiemale gelidum fore existimarent. Hoc responsum accepit: "Sine ullo dubio hiems acerrima erit, nam Indi Americani summa contentione lignum colligunt."

Ab aliquo homine nobili, quem detestabatur, poeta Bernardus Shaw invitatus est hac chartula: "'Lord' XY die 26<sup>o</sup> ab hora nona domi versabitur." Shaw chartulae inversae inscripsit: "Ego quoque domi ero", et eam remisit.

\* \* \* \* \*

Componista quidam ceber ex officio fiscali epistulam accepit: "Valde miramur componistae tuae famae non maiorem quaestum esse." Componista respondit: "Egregi domini, ego quoque id factum non minus miror."

Alter: "Iamne audivisti viduam de Graffenried 300'000 francos Helveticos suo cani testamento legavisse?"

Alter: "Certe, sed difficultates ortae esse dicuntur; psittacus enim testamentum in controversiam vocavit (5)."

Tenorista celeberrimus Italicus Enrico Caruso aliquanto epistulam mendiculam accepit, qua aliquis ab eo petivit, ut sibi 5000 liras mutuum daret, adiciens, si negaret, sibi nihil aliud restare nisi pistolium capere et vitae suae finem facere. Caruso respondit: "Doleo, quod 5000 liras tibi mutuum dare non possum, sed pistolium, si tibi placeat, libenter in usum tradam."

"Hoc domicilium conducendum est tribus milibus francorum Helveticorum in singulos menses" dixit locator. Aliquis domicilium quaerens, postquam id spectavit, interrogat: "Estne etiam stabulum in hoc domicilio?" Locator stupens: "Cur stabulum necesse esse existimas?" - "Ad collocandum illum asinum, qui paratus est tali gurgustio misero tria milia francorum impendere."

Aliquis centum annos natus, qui totam vitam socius factionis Socialisticae Democraticae Helveticae erat, moriturus ultimum votum indicat: Ad factionem Autoraedarium transire vult. Praeses factionis Socialisticae Democraticae, Helmut Hubacher, de ea re certior factus, statim ad moriturum properat et ex eo quaesivit: "Quid haec cupido ad istam factionem transeundi hoc momento te invasit?" Tum ille: "Eheu, care soci Helmut, nonne putas melius esse unum istorum mori quam unum nostrum?"

René Descartes philosophus homo gulae deditus (6) fuisse traditur. "Tu philosophus, qui es, palatum delicatum habes", quodam die Dux (Herzog) de Beaufort ei dixit. "Nonne putas sapientem tui modi supra talias res terrestres elatum esse debere?" Descartes respondit: "Nequaquam id puto. An imaginari potes deum tales delicatos cibos tantum stultis creavisse?"

Interrogat tabularius: "Praefectusne iam equitationem matutinam finivit?" Secretaria: "Nondum, sed puto illum mox reversurum. Equus eius enim iam adest."

Napoleon Bonaparte medicum suum interrogavit: "Dic mihi, quot homines adhuc iam ad inferos misisti?" Medicus: "Multo pauciores quam tu, sed etiam multo minorem gloriam te assecutus sum."

Avarus quidam defunctus ad portam caeli pulsat intraturus. "Lente, quaeso", dixit Sanctus Petrus. "Antea te mihi dicere oportet, quid boni in vita egisti." Diu avarus secum cogitat. Tandem reminiscens: "Aliquando", ait, "mendico decem centesimos dedi." - "Et ultra?" Petrus insistit. Avarus denuo diu cogitans: "Unos annos post iterum mendico decem centesimos dedi." Petrus: "Idne omne est?" Avarus: "Non, brevi ante mortem tertio mendico decem centesimos dedi." Tum Petrus diu cogitat et denique: "Recipe triginta centesimos", ait, "et nunc abi ad inferos!"

Daniel Weissmann

1 pulvis pyrius	(Schiess)Pulver/poudre/gun-powder/pólvora
2 spectaculum pyrotechnicum	Feuerwerk/feu d'artifice/fireworks/fuegos artificiales
3 pyxis nautica	Kompass/boussole/compass/brújula
4 Indus Americanus	Indianer/indien/Red Indian/indio
5 in controversiam vocare	anfechten/contester/to challenge/impugnar
6 gulae deditus	Feinschmecker/gourmet/gourmand/gastrónomo



## DE CARMINIBUS IAPONICIS, QUIBUS NOMEN 'HAICUA'

Quid sunt illa 'Haicua'? Quae sunt eorum propria? Leges, quibus componuntur, non sunt eae, quae nobis ex carminibus Graecis, Latinis, Theodiscis aliisque notae sunt: non refert 'Haicubus' metrum ex consecutione longarum vel brevium syllabarum inesse aut versus consonantes, sed numerum syllabarum versuum singulorum. Stropha continet tres versus, quorum primus quinque, secundus septem, tertius quinque syllabas continet, ergo est ordo syllaborum 5 + 7 + 5.

Ortum est 'Haicu' saeculo XIII<sup>o</sup> ineunte in Iaponia e carmine brevi, Iaponice 'Tanka' vocato, ex quinque versibus consistente, ordine syllabarum 5 + 7 + 5 + 7 + 7. Quorum quinque versuum tres ineuntes stropham superiorem vel incipientem, Iaponice 'Kami-no-ku' vel 'Hokku', vocantur, sequentes duo stropham inferiorem vel finalem, Iaponice 'Shimo-no-ku' vel 'Matsuku'.

In Iaponia saepe carmina tali modo in conviviis orta esse traduntur, ut aliquis 'Hokku' componere inciperet, alius ad hoc 'Matsuku' adiciens stropham finiret. Deinde alius iterum 'Hokku' trium versuum sententiam ad anteriorem aptam continentem finxit, et alius 'Matsuku' adiecit. Qui ludus poeticus multum tempus pergi poterat, et illa poëmata 'Waka' vel poëmata responsoria vocata sunt.

Tempore imperatoris Gotoba (1180-1239) duobus versibus finalibus suppressis tantum tres versus ineuntes supererant. Itaque 'Haicu' trium versuum modo 5 + 7 + 5 ortum est.

De quibus rebus in 'Haicubus' loquuntur? Saepe momenta vel puncta temporis describuntur, affectus motusque animae, sententiae philosophicae, descriptiones vel imagines rerum naturae sive de vere, aestate, autumno, hieme sive de floribus, animalibus, meditationes de vita vel de negotiis hominum.

Haec pauca praemissa sint, ut melius 'Haicua' sequentia a Henrico Reinhardt composita comprehendatis.

Daniel Weissmann

## HAICUA VINDOBONENSIA

### Verba praevia

Haicua hic collecta decursu unius hebdomadis, id est diebus a vicesimo sexto ad tricesimum primum mensis Augusti, anno millesimo nongentesimo nonagesimo a me conscripta sunt. Cum sint recentissima, numquam sunt ante hanc editionem divulgata.

Inscribuntur Vindobenensia, quandoquidem olim mihi suasa erat ac proposita haicum quaedam lectura publica Vindobonae agenda. Poterunt, ut mihi persuasum est, aestimationem publicam sermonis Latini promovere.

Utinam haec nova collectio haicum Latinorum homines oblectet!

1.

Post lupuleta  
capella nemorensis  
et Iris triplex

3.

Pausa montana  
in lacerto locusta  
valde titillat

5.

Thermopolium  
amplus odor cafei  
et ars muscarum

7.

Vinum cum umbra  
in cauponis hortulo  
canunt abortum

9.

Rosae murales  
libella vento iacta  
caute considit

2.

Flumen luteum  
fractum everriculum  
iuncos praeterit

4.

Forum heroum  
equi effeti ac tres  
papiliones

6.

Pallorem ducunt  
pinnae divi Stephani  
calo cachinnat

8.

Senex rugosus  
inter domus rudera  
arridet nepti

10.

Lapis exustus  
merula fugit pullum  
mutum hiantem

11.

Lacus Albanus  
hortique tonant cauro  
cras papa cedet

13.

Miles austerus  
dulciter in pronao  
cum felicula

15.

Palmae figuli  
fideliae nascenti  
parcunt ut pullo

17.

Ex aede Petri  
ut mariti prodeunt  
aura autumnii

19.

Mala persica  
quam sucosa sapida  
sub stellis Aetnae

21.

Palea per viam  
vulneribus suberum  
nil cruentius

23.

Ingens porticus  
reboat post hospites  
nunc fruor pulte

25.

Horti publici  
vicinae infans captat  
meum pollicem

12.

Calvus vetulus  
instigat autoraedam  
in ericium

14.

Vix ortus est sol  
Petri forum pertransit  
abbas fumator

16.

Pamphyliorum  
prata umbrosa fragrant  
cursat mustela

18.

Fons Arethusae  
papyri motae crepant  
crepant adstando

20.

Tineas fugi  
fusca concha Panormi  
cum die crescit

22.

Turris antiqua  
supra me ex cavea  
vox lusciniae

24.

Foris murmura  
picturae Morandinae  
sciunt tacere

26.

Caeruleus dies  
vinitor cinctutus fert  
hornum gratuitum

# Aenigma

27.

Rosarium est  
tot manus precantium  
permulcent orbes

29.

Trux equitatrix  
segetem incursat sic  
et equus peccat

31.

Monachus legens  
repente ululanter  
pueri clamant

33.

Altae mergites  
iubae messorum ludunt  
ad melos priscum

35.

Domus rustica  
infima gerania  
hederis iuncta

37.

Filum arachnes  
ad genam umbraticam  
quantum calidum

39.

Investitura  
ad cantum canticorum  
geris spineam

41.

Templum sublime  
pulices aquaticos  
speculo tangit

28.

Navis carbonum  
aegre adversus flumen  
vespertilio

30.

Arcis ruinae  
apes a glyciniis  
vespam prohibent

32.

Paeoniarum  
halitus per fenestram  
senex obdormit

34.

Crux compitalis  
iuvenis dapifera  
rosas cumulat

36.

Primae cornices  
iam a mani acclamant  
populis nudis

38.

Miluus gyrat  
gallinae aufugiunt  
una cum fele

40.

Scaturrex vetus  
austro late spargitur  
spumans ascendit

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. fortunae (Dat.)

2. geret

3. arte componi

4. tempus negotio vacans (Dat.)

Propter editionem tardiozem libelli 5+6/90 solutiones aenigmatis magni et nomina eorum, qui praemia acceperint in proximo libello (2/91) invenietis, cari amici et amicae solvendorum aenigmatum cupidi.



## MYTHI HELVETICI

### De Grissa in Alpe Puteana

Puer et puella olim in Valle Maderana (1) herbam secantes, ut faenum fieret, cattulam lepidissimam secum habebant. Quam, cum amore bestiolae istius insano essent capti, more ac ritu Christiano baptizavisse dicuntur. Eodem autem temporis momento, quo aquam sanctam super cattulae frontem defudissent, parva bestia subito in horribile monstrum mutata esse affirmatur. Quod monstrum sive phantasma a rusticis circum habitantibus "Grissa" (Theodisce: Greiss) vocabatur atque in Alpe Puteana (Theodisce: Brunnialp) pecus pulcherrimum atque splendidissimum quodque devorare solebat.

Henricus Reinhardt

Quid contra facerent, pastores nesciebant. Sin autem consilium studiosi cuiusdam pervagi secuti essent, certe Alpem monstro liberavissent. Cum enim anno quodam Grissa extra modum multa pecora lacerasset et comedisset, pastores, qui miseriae finem ponerent, studiosum pervagum arcessiverunt suppliciter orantes, ut phantasma expelleret. Qui, postquam totam Alpem circumiit, suasit, ut tria casae Alpinae (2) ligna, quae signo quodam significaverat, depromerent et comburerent. Igne vero incenso bene vigilarent atque primum, qui igni appropinquaret fumisugium (3) flammis accensurus tabacoque fructurus, sine ulla misericordia caperent fervorique inicerent, etsi amicus eorum optimus esset. Nullo autem modo eum ignem excitare sinerent.

Pastores Grissam perosi omnia secundum praescripta studiosi agebant, tria ligna de casae Alpinae (2) pariete depromserunt atque brevi ante mediam noctem accenderunt. Tunc unus ex eis: "Quid", ex improvise interrogavit, "faciendum nobis esset, si Franciscus ille Urech equum suum secum domum ducere vellet? Num is nobis etiam iniciendus esset?" Alius respondit: "Esset."

His autem verbis vix dictis clamores laetitiae sublatis sunt per noctem tranquillam. Paulo postea re vera Franciscus Urech - sive vir illi simillimus - apud pastores perterritos stabat et "Heus, sodales!" exclamavit. "Ubinam terrarum equulum meum album habetis? Veni enim, qui eum domum ducerem!" Tunc baculo ignem excitare coepit fumisugiumque (3) flammis accendere est conatus. Ceteri vero vix uno verbo responderunt, quod ut praescriptorum studiosi memores erant, ita verebantur, ne amicum aestui traderent. Ille autem pauco post ab eis secedens saltu uno ingentissimo saxum quoddam prope iacens domo altius petivit et risu ludibroso "O vos fatuos!" horribiliter per noctem crocivit (4). "Rectum quidem habuistis. Quem si captavissetis...!" His dictis evanuit, aër autem intolerabiliter sulphur redoluit. Tunc pastores animadverterunt, quis fuisset ille, quem Franciscum habuerant, et frustra capillos paene evelerunt. Matutino tempore summo in saxo bovis vestigium cerni potuit. Quomodo pastores Grissam denique tamen superaverint, hac de re mythi silent.

- 1 Vallis Maderana (Theodisce: Mad(e)raner Tal) est vallis longe remota in pago Uranensium (Theodisce: Kanton Uri).
- 2 Casa Alpina, -ae, -ae: Est domicilium valde simpliciter constructum, quo pastores Alpini et boves per aestivum tempus versari solent.
- 3 fumisugium, -i: Instrumentum aptum ad tabaci fumum sugendum.
- 4 crocire 4: Clamare vel cantare sicut corvi.



Martin Meier

## *De pugna Arminii*

Prolegomena auctoris

De relatione, quam supra legere poteritis, auctor Thomas Vulpus (Fuchs) nobis epistulam hanc scripsit:

"Illam relationem, quae de pugna in saltu Teutoburgiensi est, anno post Romam conditam MMDCCXXXI, cum in cinematographeo versatus essem spectavissemque pelliculam, quae de hac pugna esset, scripsi, ut Romanos per iocum victores redderem. Cumque totum propositum minime esset serium, multas res omnino infrunitas inculcavi: in octavo quidem capitulo A. Colonnam scripseram equites omnes, quos secum duceret, praemisisse, qui sarmenta virgultaque post se traherent et usi simulatione itineris tam placide progredirentur, ut peditatum cum iis esse crederes. Id enim esse consilium Colonnae, uti hac re pulvis maior, quam consuetudo ferret, in ea parte, quam in partem cohortes iter fecissent, videri posset. Hoc vix fieri potest, propterea quod illo tempore in Germania passim paludes erant."

Relationis pars prima

I. (1) Germania Transrhenana omnis divisa est in partes duas, quarum alteram incolunt Frisii, Chauci, Ampsivarii, Langobardi, Angrivarii, Semnones, Tubantes, Usipetes, Bructeri, Marsi, Cherusci, Sugambri, Chatti, alteram Hermunduri, Marcomanni, Tutones. (2) Germaniae altera pars ini-

tium capit a flumine Rheno, continetur Visurgi flumine, Oceano, finibus Marcomannorum, spectat inter occasum solis et septentriones, altera pertinet ad superiorem partem fluminis Rheni, vergit ad orientem solem et attingit flumen Albim.

II. (1) Cum P. Quinctilius Varus in Germaniam venit, Cheruscorum, qui fortissimi omnium Germanorum erant, factiones erant duae. harum alterius principatum tenuit Segestes, cuius summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperantiam cognoverat Varus, alterius Arminius, magna apud plebem propter audaciam gratia, cum semper auctor novorum consiliorum apud barbaros auctoritatem haberet cupidus rerum novarum. (2) is Nerone Claudio T. Quinctio Crispino consulibus regni cupiditate inductus coniurationem fecit, ut totius Germaniae imperio potiretur. (3) quibus de causis Varus maiorem motum exspectavit. (4) praeterea animadversum erat ab speculatoribus eas Germanorum gentes, quae circa castellum Alisonem, quod a flumine Rheno circiter XXV milia passuum aberat et ad orientem solem spectabat, incolebant, Cheruscos Chattos Bructeros Marsos, manus cogere atque aperte bellum parare. (5) quarum de gentium defectione et secundo Germaniae motu iam rumores afferebantur. (6) Varo cum id nuntiatum esset, maturat ab urbe proficisci et quam maximis potest itineribus in Germaniam inferiorem contendit et ad Novasium pervenit. provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat et tres legiones conscribit, XVII. XVIII. XIX. (7) ubi de eius adventu Cherusci certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Arminius et Segestes principem locum obtinebant, qui dicerent Chattos, qui virtute omnibus praeerant, collectis undique perditis hominibus, servis ad libertatem vocatis, exsulis omnium civitatum ascitis exercitum prope Anreppium, quod est castellum ad flumen Lupiam, in unum locum contraxisse, ut prima defectione Germaniae facerent in provincias impetum. (8) hoc modo Romanis sese persuasuros existimabant, ut e castello egressi iter per saltum Teutoburgiensem facerent, ubi Cherusci copias in convalle in insidiis collocavissent. (9) hac re perspecta Varus, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum

sumpturum. (10) eo concilio dimisso Segestem retinet. quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat. (11) is multis cum lacrimis Varum complexus graviter Arminium accusat. (12) illum superbe et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cuiusque liberos poscere et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit. (13) hominem esse barbarum, iracundum, temerarium. (14) quem si retineret, plebem nihil per se ausurum fuisse. (15) ad haec, quae visum est, Varus respondet. sed exitus fuit orationis: (16) negat se more et exemplo populi Romani posse legatos, quod nomen ad omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuisset, retinere et in vincla conicere.

III. (1) Cuius oratione permotus Varus, quod Arminium, qui Romanis stipendium pependerit, summam scientiam rei militaris habere populo Romano periculosum videbatur, non ignorans, quanta ex defectionibus incommoda oriri consuessent, ne tanta et tam coniuncta populo Romano civitas, quam ipse semper aluisset omnibusque rebus ornasset, ad vim atque arma descenderet atque ea pars, quae minus sibi confideret, auxilio ab Arminio arcesseret, huic rei praevertendum existimavit. ipse in Cheruscos proficisci statuit, ut eos a belli gerendi consilio depelleret. (2) sed prius, quam id faceret, nuntii ab imperatore Augusto venerunt, qui Saxonibus bellum inferri iuberent. (3) itaque confestim imperio ad A. Colonniam, tribunum militum, virum et consilii magni et virtutis, delato naves longas aedificari in flumine Rheno, remiges ex provincia institui, nautas gubernatoresque comparari iubet. (4) his rebus celeriter administratis ipse, cum primum per anni tempus potuit, ad oram maritimam contendit. (5) at barbari consilio Romanorum cognito equitibus per oram maritimam dispositis reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. (6) ad hoc autem incommodum accedebat, quod pedestria erant itinera concisa aestuariis, navigatio impedita propter inscientiam locorum paucitatemque portuum neque nostri exercitus propter frumenti inopiam diutius apud eos morari poterant. (7) itaque Varus paucos dies eorum fines classe praetervectus in inferiorem Germaniam reverti constituit, praesertim cum multis necessariisque rebus in Germaniam revocaretur. (8) neque enim sibi homines feros ac barbaros temperaturos



existimabat, quin, cum omnem Germaniam occupavissent, ut ante Ariovistus fecisset, in Galliam exirent atque inde in Italiam contenderent; quibus rebus quam maturime occurrendum putabat. (9) ipse autem Arminius tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur.

IV. (1) Arminius magnis Germanorum copiis coactis castellum Alisone, cui praeerat A. Colonna, expugnare constituit, ne is se cum Varro, qui exercitum ab ora maritima eo adduceret, coniungeret. (2) qua re exercitum in duas partes divisit, quarum alteram duce Ingone, qui erat Chatterum princeps, ad oram maritimam misit, unde Varum expectaret. (3) ipse reliquis copiis ad castellum ex itinere aggrediendum et omnibus modis oppugnandum proficiscitur. (4) dum curavit, ut aequae ac Romanae, quorum rei militaris, ut ante demonstravimus, peritus erat, praetoriam portam refringeret. (5) Arminius per Epaminondam, mercatorem ex Syria, minis compulsus certior factus Varum, qui dubitaverat, utrum per Ampsivariorum fines copias in Cheruscos ad castellum Anreppium secundum flumen Amisiam duceret an per silvas paludesque iter faceret, ad saltum Teutoburgensem per eam planitiem progredi, quae initium capiebat an illo saltu et spectabat ad oram maritimam, Colonnam eodem profecturum esse, maturandum sibi existimavit, ut deleta Colonnae exercitu ad illum saltum insidiarum collocandarum causa quam primum proficisceretur.

Thomas Fuchs

(Relationis pars altera in proximo libello sequetur)



#### DE LINGUA LATINA IN MUNDO HODIERNO

Sunt qui dicant linguae Latinae nullas agendas esse partes in mundo hodierno, utpote quae iamdiu mortua sit.

Etiamsi lingua Latina nihil aliud esset nisi praeteritorum temporum vestigium quoddam in bibliothecarum pulvere sepultum, id tamen vestigium dignum esset, quod non omnino ignoretur. Hoc enim tempore, omnes homines bonae voluntatis, qui praeiudiciis nationalisticis aliisque obcaecati non sunt, Europae unitatem desiderant. Cui unitati quid utilius esse potest quam patrimonium illud, quod nobis Europaeis omnibus commune est: historia scilicet Romana, religio Christiana, et una cum eis lingua Latina, quae nobis commune hoc patrimonium vel hereditatem transmisit?

Insuper, quamquam plura per saecula magistri nimis multi linguam Latinam tam taediose docuerunt, ut ea omnibus fere discipulis odio esset, et quamquam hoc saeculo nimis multi Educationis Publicae ministri ita se habuerunt quasi linguam Latinam necare velint, ipsa tamen lingua Latina, quae tam diu iam mortua esse calumniose praedicatur, vivere non desinit. Nam etiam nunc viget, multoque alacrius viget quam inimici eius contendunt.

Placet igitur hic nonnulla de hac linguae Latinae vita hodierna breviter ad memoriam revocare.

Lingua Latina fidelior est atque utilior lingua communis inter homines cultiores omnium nationum. Inde fit, ut in toto terrarum orbe illi saepe ea lingua usi facilius inter se communicare possint quam, exempli gratia, lingua Franco-gallica vel etiam Anglica - quae ipsa, vel hoc tempore, a pluribus ignoratur - et multo facilius quam lingua Esperantica, quae a paucissimis doctis colitur, neque a tam multis indoctis! Neve obliti simus eam, non solum ante Concilium Vaticanum alterum, sed etiam post ipsum, Ecclesiae Catholicae linguam publicam semper mansisse, immo etiam nunc manere!

Ea quidem nobis evidentia videntur esse. Sed non multi huius evidentiae satis conscii erant ante secundum Bellum Mundiale et Europaeorum Communitatem tandem adumbratam. Numquam tamen defuerunt fortissimi quidam homines (vel insani, ut aiunt Esperantistae!), qui pro Latinitate viva divulganda audacter pugnare non dubitarent.

Commentarii etiam periodici Latini, ad hunc Latinitatis vigorem illustrandum, multis in urbibus exstiterunt. Ex iis, nonnulli tempore tantum suo duraverunt, sicut "VOX

URBIS" et "PRAECO LATINUS", qui hoc saeculo ineunte floruerunt, et "PALAESTRA LATINA", qui commentarii, ab anno 1930° usque ad annum 1975<sup>um</sup> in Hispania editi, Latinitati vivae maxime profuerunt.

Neque desunt novi alii commentarii post Bellum conditi, qui etiamnunc vigent. Quorum praecipui sunt:

- LATINITAS (1), in Urbe Vaticana ab anno 1953° editi adiuvante eiusdem nominis Opere Fundato, sub cuius auspiciis Ferae nostrae Latinae celebrantur;
- VITA LATINA (2), Avennionense anno 1957°, sicut infra videbimus;
- VOX LATINA (3), ab anno 1964° (ni fallor) in Germania Occidentali editi;
- HERMES AMERICANUS (4), ab anno 1983° in America editi;
- MELISSA (5), ab anno 1984° Bruxellis editi;
- RUMOR VARIUS (6), ab anno 1978° Turici in Helvetia editi.

Neque plane viva ea lingua est, qua scribendo solum legendove homines utuntur; ut vere viva sit, ea oportet, ut loquendo viva voce utantur. Non quidem defuerunt, hoc ipso saeculo, qui id optime intellexerent, eximii vivae Latinitatis amatores, e quibus mihi nominandi videntur imprimis: Pater Josephus JIMENEZ DELGADO et Pater Josephus MIR, Hispani, qui PALAESTRAE LATINAE strenuam operam dederunt; Professor Hugo Henricus PAOLI, Italus, qui ius quidem docebat, multa tamen opera Latina conscripsit, quam linguam facillime et profluenter loquebatur;

Professor Godwin BEACH, Americanus, strenuissimus fautor linguae Latinae vere vivae, qui sibi nomen Latinum indiderat BONAMICUS ACTENSIS;

Reverentissimus Dominus Carolus EGGER, Vaticanus, commentariorum quibus nomen est LATINITAS moderator;

Rector Johannes CAPELLE, Francogallus, conditor illius Instituti Scientifici Lugdunensis, quod I.N.S.A. vocatur; Eduardus denique AUBANEL, Avennionensis, editor, e stirpe clarissimi poetae Theodori AUBANEL, vir tam modestus quam efficax, sine quo ea, quae sequuntur nec ullum habuissent initium.

Is enim, quem ultimo loco nominavi, adiuvantibus quidem Johanne CAPELLE aliisque multis, magna tamen ex parte

viribus et sumptibus suis propriis, anno 1956°, Avennionense, Primum Omnium Gentium Conventum pro Latina Lingua viva paravit (7). Ad quem conventum ducenti fere adfluxerunt participes, ex XXII nationibus, non solum Europae, sed etiam ceterarum orbis partium. Anno vero sequenti (1. VI. 1957), Avennionense editus est primus VITAE LATINAE fasciculus, quem secuti sunt plus quam centum eiusdem generis.

Post hoc initium, alii nati sunt commentarii, de quibus supra diximus, alique conventus variis in locis habiti sunt, tum sub VITAE LATINAE (Avennionensis) cum sub ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (Romanae) auspiciis, quorum novissimus Dunelmi in Anglica anno 1985° habitus est (8), proximus autem Erfordiae Thuringorum et Berolini in Germania anno 1989° celebratus est (9). Ex quo factum est, ut Latinitatis vivae amatores et fautores in dies multiplicarentur.

Paulatim etiam post illos conventus orti sunt conventiculi quidam crebriores et vividiores, in quibus variarum nationum participes lingua Latina usi familiariter inter se omnibus de rebus colloquuntur.

Primus enim SEMINARIA LATINA condidit Pater Caelestis EICHENSEER, Saravipontanus, eaque quotannis pluribus in locis moderatur in Europa Septentrionali (in Germania scilicet, Flandria, Alsatia, Helvetia) sub SOCIETATIS LATINAE (quae et VOCEM LATINAM edit) auspiciis (10).

Nostri autem FERIIS LATINIS, quae in Europa meridionali habentur, (in Carinthia scilicet, Slovenia, Italia, Hispania, Provinciae nostrae) praest Pater Suitbertus SIEDL, Gradeciensis, sub auspiciis Operis Fundati "LATINITAS" (11).

Si quis Latinis colloquiis saepius uti cupit, is potest etiam, ut ad ampliorem et ditiores cum lingua Latina familiaritatem proficiat, circulis Latinis nomen dare. Exemplum optimum praebet CIRCULUS LUPIANUS (12), qui in Rhenania Westfalia unoquoque mense vel etiam saepius, linguae Latinae amatores vicinos, necnon quosdam longinquos, hilariter congregat. At SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS, quae nos pluries invitavit, idem fere consilium sibi proponit (13). Neque desunt in Italia, Germania, Belgio, alii circuli Latini. Nonne et alios suscitare debemus, praecipue in nostra Provincia Romana?

Multa quidem et alia dicenda forent. Haec autem pauca, quae brevissime recensui, satis ostendunt linguam Latinam partes multo maiores in mundo hodierno agere posse quam inimici eius contendunt et quam populus credulus, ab eisdem obcaecatus, simplicissime credit.

Clemens Desessard

#### ADNOTATIONES

1. LATINITAS, I-00120 Citta del Vaticano
2. VITA LATINA, Editions Aubanel, 7 Place Saint-Pierre, F-84028 Avignon Cedex
3. VOX LATINA, Universität FB 6.3, D-6600 Saarbrücken
4. HERMES AMERICANUS, Academia Latina Danburiensis, Box 322. Bethel. Conn. 06801 USA
5. MELISSA, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles
6. RUMOR VARIUS, c/o AKAD, Postfach, CH-8050 Zürich
7. PREMIER CONGRES INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT. AVIGNON, 3-6 Sept. 1956, ed. Aubanel, 7 Place Saint-Pierre, F-84028 AVIGNON CEDEX.
8. ACTA OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONVENTUS SEXTI LATINIS LITTERIS LINGVAEQUE FOVENDIS. University of Durham, Department of Classics, 38 North Bailey, Durham, DH 1 3 EU (G.B.)
9. ERFORDIAE THURINGORUM a die 31<sup>o</sup> m. Iulii ad diem 5<sup>um</sup> m. Augusti 1989 (BEROLINI diebus 3-5 m. Augusti 1989). Moderator: Ioannes IRMSCHER, Nordenstrasse 49, 1100 BERLIN.
10. SEMINARIA LATINA, Societas Latina, Universität FB 6.3 D-6600 SAARBRUECKEN.
11. FERIAE LATINAE, sub auspiciis Operis Fundati LATINITAS, I-00120 CITTA DEL VATICANO.
12. CIRCULUS LUPIANUS, Marius ALEXA, Burgstr. 3, D-4712 WERNE.
13. SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS, Claudius PIGA, Via P. Marocco, I-20056 TREZZO sull' ADDA.



## FERIAE LATINAE NICENSES QVINTAE

### CELEBRABVNTVR

a Jovis die 22<sup>o</sup> mensis Augusti 1991 hora 18<sup>a</sup>  
ad Jovis diem 29<sup>m</sup> mensis Augusti 1991 hora 14<sup>a</sup>

in

### AEDIBVS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

29, boulevard Franck Pilatte  
F-06300 NICE (Francogallia)

### INVITANTVR

- cujuscumque muneris vel aetatis homines qui linguam Latinam amant atque eam esse vivam audiendo loquendoque experiri cupiunt.

### SCHEDAE INSCRIPTIONIS petantur a

Clemente DESESSARD  
Résidence des Collines, C.9.  
500, rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU (Francogallia)  
Tel. 93 49 01 91

et ad eundem remittantur !



NICAEA :

PORTUS LYMPIA

# LATINE LOQUI – ROMANE COQUERE LATINITATEM INTER NATIONES

Tertia Septimana  
Latina Amoeneburgensis

moderatores : Mechtildis Hofmann et Robertus Maier  
quando ? : a die 4<sup>o</sup> usque ad diem 10<sup>um</sup> mensis Augusti  
anno 1991<sup>o</sup>  
ubi ? : Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium  
Amoeneburgense, D-3572 Amöneburg (Amoeneburgum  
apud Marburgum)  
pretium : 300.- DM pro victu et habitatione in domo, cui  
nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum  
erit 30), 100.- DM pro institutione (includitur  
pretium pro duabus cenis Romanis et pro  
excursione)

Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem 15<sup>um</sup>  
mensis Iunii ad:

Robert Maier  
Dresdener Straße 10  
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad  
secundam Septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Discite Latine  
loqui. Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra  
fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivias experiemini et  
exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstra-  
re volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimendas tam  
in vita cotidianam adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas colemus,  
ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate  
etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras!  
Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. 06103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra  
stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

1/91

IDIBVS MARTIIS

MCMXIC



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 86